UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 50. Episcopi Alexandrini, & Romani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-66002

Visual Library

tumultu liberam exhortatus. Tum in Joniam rediit. Sæculum I. A C. 85.

§. L.

Epiſcopi Alexandrini, & Romani.

Anianus Epiſcopus Alexandrinus, S. Marci Succeſſor, obiit anno quarto Domitiani, JEſu Chriſti octogeſimo quinto, cum annos viginti duos ibi rexiſſet. Succeſſit Abilius, rexitque hanc Eccleſiam annis tredecim. Romæ S. Cletus, ſeu Anacletus Papa obiiſſe fertur anno decimo quarto Domitiani, JEſu Chriſti nonageſimo quinto. Inter Martyres numeratur. Sunt, qui Cletum, & Anacletum ut diverſos Pontifices diſtinguunt, quorum prior S. Clementi ſucceſſiſſet anno ſeptuageſimo ſeptimo, & octogeſimo tertio obiiſſet. Alii S. Anacletum ante S. Clementem ponunt. Quidquid autem de his ſit, ſequens Papa fuit S. Evariſtus. Cui tredecim annos tribuunt, deinde S. Alexander, cui octo, huic autem ſucceſſit S. Sixtus, vel Xiſtus, qui prius quam anno centeſimo primo Pontificatum adire non potuit; anni enim incerti ſunt, quamvis Succeſſio ſit certa.

Euſ. Chr. an. 85. & *III. hiſt. c.* 14.

Annus 85.

Iren. III. c. 3. *Catalog. Bucher.*

S. Evariſtus. S. Alexander. S. Sixtus.